

## II.

# REGNUM MORTUORUM.

Nro. 71.

---

Mystum-Meum, Die Veneris, 5. Octob. 1810 (Neov. 18. Sep. 1810.)

---

De actione animalium sensationum in animam.

Secundum Cel. Schiller,

*O Harmoniam praestabilitam!*

**A**nima, misteriis sublimioris voluptatis jam initiata, cum quadam villipensione motiones comitis sui (corporis) dispiceret, inferioris-que ordinis necessitatibus physicae vitae non facile litare vellet amplius, si ad id animalis sensatione non adigeretur. Mathematicum scrutatorem, qui coeli orbis metitur radio, atque infiniti percursat regiones, in abstractionis mundo abditus realem somno praeterit, Euclidem, Archimedesque famas ab intellectuali sopore excitat. — Physicum, qui Mechanicam solaris seu Ptolomaicum, seu Copernicanum sit, systematis analisat, & errantes Planetas per immensum comitatur, levis aeculae punctura ad matrem terram revocat — Philosophum naturam Deitatis explicantem, atque limites mortalitatis a se perfectos autumantem, gelidus spirans Boreas qui ruinosum ejus tugulum permeat, ad se ipsum reducit, docetque miserum bruta gentesque superioris Ordinis ens intermedium esse. —

Fames & nuditas erant, quæ primùm Venatorem, piscatorem, nomadem, agricolam, architectum hominem fecere. Luxuria familias condidit, & defectus securitatis singularium tribus nomadicas coegerat. En jam prima socialium Jurium cunabula! Brevi fieri debuit: ut numero inrescenti hominum turbæ territorium angustum esset, inedia eos ad remotiores regiones & climata dispulerat, quæ scrutanti inediae producta sua revelant, eosque novas philacterias cultivandi & noxiæ actioni occurrendi rationem docuerant. Singularia hæc experimenta traditione ab avo ad seros nepotes pertigerunt, auctiores locupletiores redditæ — vires naturæ adversus ipsam in usum convertere didicere homines, atque in novas relationes redegere — factæ novæ detectiones. — En jam prima simplicium salutariumque artium Cunabula! — Erant quidem continuo artes & inventiones hæc pro bono animalis, attamen exercitatio virium, attamen profectus intellectus — & ad similem ignem, ad quem ferus naturæ homo pisces assarat, elicuit postea *Cel. Boerhave* suas Chemicas operationes instituitque, simili ex cultro quo ferus ille feram disoidit, *cel. Lionetus* invenit instrumentum quo nervos insectorum exhibuit; eodem circulo, quo principio unguis exploratæ, successu temporis immortalis *Jacobus Newtonus* orbem terrarum, & sidera dimensus est. — Ita factum: ut corpus mentem ad contemplationem phaenomenorum circum se adige-

get, quod mundum nosse ejus ut intersit & gravis argumenti ducat, effecit per id, quod carere eo non posse effecerit. Internæ agentis sedulo naturæ vis juncta nativi territorii sterilitate primitivos patres nostros audacius cogitare fecit, *robur & ass triplex circa pectus dedit*, ut *fragilem truci committerent pelago ratem*, & pauperiem pati nolentes peterent regiones alio *sub sole calentes*. —

Ea nova rursus producta, nova discrimina rerum, novæ necessitates, novæ mentis intensiones! Collisio naturalium animalium stimulorum tribus adversus tribus agit, vertit crudum æs in enses, progenerat ostenta, heroes & despotas, excitantur urbes, munimenta, conduntur Status, oriuntur Civilia Jura & officia, hos consequuntur artes, literæ, leges, & legum Codices & callidi earum interpretes Magi, idola & idolorum cultores. —

Et jam necessitates in *luxum degenerantes*, — quam, superi! uberem, quam immensum oculis nostris aperlunt campum! Jam terræ viscera examinantur, jam in Oceani abyssum descenditur, commercia & mercimonia florent.

Oriens occasum, occidens stupet ortum, exotici naturæ foetus artificiali peregrino asvescunt coelo, hortensis ars trium orbis partium producta in unum hortum confert. — Artifices opera naturæ addiscunt, tonos inculti modulantur, at pulcrum & harmonia mores gustumque excolunt, quæque

ante ars fuerat, hæc paligenesia in scientiâ  
& virtutis dignitatem transvehitur.

„Homo, (ait Cl. Schözer) potens hic  
Semideus, rupes loco stationeque movet,  
paludes derivat, & alveos fluminum lætos  
sonvertit in agros, Canalium ope dirimit  
orbis partes & provincias, connectit dispa-  
res fluvios, atque ad sirtes solitudinesque va-  
stas deducit, quæ in ridentia mutat arva —  
spolia in tribus mundi partibus legit, & its  
onustus quartam opplet. — Ipsum Clima,  
elementaque ejus sceptro subsunt, dum sal-  
tus extirpat, stagna exsiccant, serenius Cœ-  
lum ei imminet, nebulæ & aquæ disparent,  
bruma mitior breviorque redditur, glaciæ ri-  
vi non teguntur amplius — & mens? cum  
subtiliore climate subtilior quoque efficitur.”

Respublica Civi occupationes ad vitæ  
necessitates & commoditates suppeditat. So-  
lertia Civitati securitatem externam & inter-  
nam largitur, quæ meditati, opusque faci-  
enti fructuosum otium præbet, quo Augusti  
ævum auream in ætatem mutatum. Hodie  
artifices temerarie imperturbate attolluntur,  
hodie scientiæ purum limpidumque lumen sor-  
tiuntur. Historia naturalis Physioaque super-  
stitionem præcipitant, Historia speculum est  
rerum ante gestarum, Philosophia hominum  
dementia ridet. Ut primum vero luxus, in  
mollitiem & luxuriam degenerans cerebro in  
humano furere incipit, pestemque enititur, at-  
mosphæram ipsam contagio inquinat, tum  
perplexus homo ex uno regno naturæ festi-

aut ad aliud leniora exquisiturus media; tum reperit divinum Peruvianum Corticem, tum ex visceribus terræ eruit fortiter operantem Mercurium, atque ex orientali musco pretiosum elicit succum. Abditissimi naturæ recessus disquiruntur, chemica ars producta in prima sua resolvit elementa, & proprios sibi textit mundos. Alchimistæ historiam naturalem locupletant, & microscopica Svamedammii acies naturæ arcana manu apprehendit. — Homo ultra progreditur, necessitas & curiositas limites superstitionis transiit, arripit animose cultrum, — & summum naturæ paradigma, hominem, detegit. Ita quod pessimum optimo detegendo serviro debuit, ita morbus & mors ad medicum & vitæ fontem detegendum provexit. Pestilentia Hippocrates & Sydenhamios prout bellum Generales Duces formavit, atque irruenti pestiferæ lui totalem reformationem medicinalis gustus in acceptis ferimus.

Ita scribebat Schiller dum adhuc medicum egeret, (le Medicin malgré lui) & 20 Annis ante, quem in Paracello clarus adpareret. *Continuatio Paracellismi Galliam inter & Angliam vide Nro 69.*

3. *Intuitu Politicæ.* Anglia — Foedus cum Anglia Potentias ad incitas redegit, que id quærebant, argumento sunt: Vicarius Hollandiæ, Reges Sardinie & Neapolis, qui Angliæ se crediderunt. — Anglia intrinsecus intolerans est, numerus ultra 6 milliones Christianorum libero destituitur Religione.

exercitio nullam munus politiciam, neque militare gerere licet, nisi sacris nuncioium mitat. — Anglia nationes, quas sibi unit, opprimat, duritiam suam usque extendens, ut nec liberum sacrorum exercitium admittat — hi Anglicanæ administrationis effectus sunt, Hybernia absque notabili exercitu conservari non potest. — Erat Londini ipsas armatas copias videre in populum, senes, foeminas & pueros ignem edere ad partitionem in regimen, debitamque legi custodiam extorquendam. — Non arma sola, quorum usus ad publicam obedientiam procurandam, res tormentaria, munimenta, Londinum accessiri solent, ad obsequium regimini conciliandum, Regi Angliæ non plene tuta res est, domo solus egredi, denis etiam vicibus periolitabatur vita — cavebit oppido turbæ se ingerere quippe probabile est, haud bene cesurum. — Ad remiges obtinendos, ii violente rapiuntur, publicis locis absque regula ceu feroces capiuntur. — Cædes hac occasione patrantur, ubique regimen violente rem agit quapropter dici potest Anglicano regimini notam plenæ esse oppressionis, atque crudelitatis — utitur sclopiis, atque globis ignitis ad momentosas maxime Imperii partes, in subjectione, & metropolim suam in freno retinendam; 6 milliones suorum Civium a libero sacrorum exercitio impedit. — *Gallia.* Omnes Gallia confoederati Status amplificati sunt, quævis unitæ ditiones fraterna ratione tractantur. — Tolerantia in sua plenitudine

& irrestrictè viget, in penetralibus Palatii Louvre Sacellum S. Thomæ est, in quo Protestantæ sacra sua exercent.

Imperator denominat Episcopos, Parochos, Præsides Consistoriorum & Protestanticos Curiones. Instruit Cleri Jun. Seminariorum, & Reformatorem Genevæ & Montebani Collegia — Jurisdictiones Civiles nulle jure gaudent, conscientias vim inferendi, est hoc Gall. Monarchiæ principium. Nusquam in ipsis unitis provinciis opus est milit. Copiis. — In Pedemontio, Hetruria, Genua, vix 1500 armati erant tempore commorationis Imperatoris Vindobonæ. Præsidium Parisiorum 1200 duntaxat effecit. Delectus & Census militaris perficiebatur; præstationes conscientiosè dependebantur, omnia plena in tranquillitate decurrebant, nullibi ex tempore terminatæ fatalis revolutionis armatæ vis usus fuit, atque Imperator in medio turbæ hominum vehitur, forum equestre aut S. Clodoaldi obtegentium, in carpento quadriga cum Imperatrice unico servulo lento passu incedit animi causa, interea 150,000 spectatores Currum ambiunt, & patriæ patri bene precantur.

Omnis in Gallia a summo ad imum ejusdem est sententiæ, omnis rationem ducem sequitur, atque classico audito proficiocitur — delectus ut præstationes lege definitus est, absque turbis & perturbatione in effectum deducitur. — Magistratus omnia moderantur nusquam violenti actus, nullibi tumultus animadvertuntur.

*Mundus optimus.*

*Cel. Leibnitzius Goliathus ille in legione Germanorum Philosophorum, doctrinam de Mundo omnium optimo & pulcerrimo reliquit. — Verum in hac velut ex ovo excisa Philosophia bene viro nihil optabile restat, quam concinnum Tusulanum, 1000 Daploas Censuum, & — mens sana in Corpore sano.*

In hac Typographia Viduae et Haeredum Belnayanorum libri sequentes venales:

Principia Politicæ, & Rei mercatoricæ &c. latine reddita a Volfg. Beke, III. Tomi 6 fl.

Catechismus in usum omnium Ecclesiarum Imperii Gallici. Juxta Exemplar, Parisiis a. 1806. apud Viduam Nyon, natam Saillant, cum Privilegio Cæsareo editum, e Gallico in Latinum sermonem translatus. 8. 1808. 1 fl.

Schelle Historia Univ. latine II. Tomi 6 fl.

Georch (Eltæ) Jus patrium, III. Tomi 5 fl.

Högyészi, Doctrina Religionis, R. Catholicae, Pars I. de septem novae Legis Sacramentis, de Purgatorio, & Indulgentiis. 1805. 8. 1 fl. Pars II. de Virtutibus Theolog. Fide, Spe, & Charitate, Religione Revelata, ac aliis Fidei orthodoxae dogmatibus. 1806. 8. 1 fl. 12 xr.

Fedor, és Mária, vagy a' hőltig-tartó ritka hűség, és a' nagyra vágyásból származott gyászos; de méltó szerentsétlenség-tüköre. N. V. Ajtay Samuel által. 1807. 8. 1 fl. 12 xr.